



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Capitvla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

staurato , regemque de reliquis sacris ædibus ( id quod valde est necessarium ) composite ornandis commo- neto.

## VI.

Qui peierarint , aut barbara factitarint sacrificia , diui- nis omnibus ( ni ocius resipuerint , animumque in melius emendarint ) perpetuum arcentor .

## P A R S T E R T I A .

## P R O O E M I V M .

**E**go Edmundus rex omnibus qui in ditione ac potesta- te mea sunt , senibus ac iuuibus , clare significo , me a scientissimis regni mei in celebri tam ecclesiasticorum quam laicorum frequentia studiose requisiuisse quo tan- dem paœto Christiana proueheretur fides . Atque nobis omnibus commodissimum visum est , vt amorem ac mu- tuam inter omnes benevolentiam per omnem ditionem nostram foueamus . Etenim nos omnes harum tædet quo- tidianarum pugnarum , & propterea ad hunc modum sta- tuimus :

## C A P I T V L A .

## I.

Si quis alium posthac interficerit , solus cum imperfecti cognatis inimicitias capitales suscipito , ni integrum capi- tis eius æstimationem ( cuiuscumque is fuerit conditionis ) amicorum ope fretus intra duodecim menses persoluerit . Sin eum cognati eius pro derelicto habuerint , neque ve- ro quidquam pendere voluerint , ipse inimicitias subito solus , ac illi pro inimicis non habentor . Ei tamen inter- rim cognati eius viatum ne suppeditanto , neve cum eo pacem habento : id quod si quis eorum fecerit , fortunis suis omnibus regi mulctator , & qui prius cognatum suum pro derelicto habuit , is iam cognatis imperfecti pro inimi- co habetor . Atqui si alium quemcumque præter interfe- etorem ipsum cognatorum quisquam vltus persecutus- que fuerit , is fortunis suis omnibus mulctatus , regi , & om- nibus amore eum prosequentibus , pro inimico putan- dus est .

## II.

Si quis ad templum opidumve regium confugerit, eumque alias oppugnarit, damnove affecerit, is, prout antea effati sumus, tenetor.

## III.

Nulla pugnae aut homicidii nomine irrogata remittitor mulcta.

## IV.

Clare autem significo, non fore ei qui sanguinem humum effuderit suffugio domum meam, ni prius Deo ac cæsi cognatis cumulate satisfecerit, & præterea impleuerit quodcumque ei fuerit ab episcopo, in cuius id diœcesi acciderit, imperatum.

## V.

Maximas autem Deo & vobis omnibus ago gratias, qui me auxilio vestro in hac pacis, quam nunc ad profigandos fures sanciuimus, lege adiuuistis, ac vehementer confido, eo vos propensius nobis in posterum opitulaturos, quo huius decreti obseruatio magis videbitur necessaria.

Hæc addita  
sunt ex alio  
manucri-  
pto.

*Quomodo despōnsanda virgo, & quibus ritibus  
procedendum sit.*

## I.

Si quis virginem ducere aut feminam voluerit, ipsa & amicis suis consentientibus, debitum est, cum ex iure diuino, tum ex humana institutione, vt sponsus primo non solum fidem præbeat de prælocutis perimplendis, sed una etiam cautionem se eam ita cupere, vt secundum legem Dei eam habeat vxorem, & hoc etiam vadient amici eius.

## II.

Tum habenda viætus ratio, & sciendum est quis eos sustinuerit. Stipuletur hoc sponsus ipse, idemque pariter amici eius.

## III.

Edicat iam tum sponsus, qua bonorum parte vxorem donat, præter hanc quam ex eius beneplacito ipsa prius cooptauerit.

Præca do-  
tationis  
formula.

IV.  
Sin & ipsa eum superuixerit (quod siquidem eueniat)  
tunc